DE LITHOGRAPHIA DUORUM MONTIUM VERONENSIUM, …

Gian Girolamo Zannichelli

DE LITHOGRAPHIA DUORUM MONTIUM VERONENSIUM,

Unius nempè vulgò dicti di Boniolo, & alterius di Zoppica.



//

DE
LITHOGRAPHIA
DUORUM MONTIUM
VERONENSIUM,

Unius nempè vulgò dicti di Boniolo, & alterius di Zoppica.

Admodum Reverendo, & Eruditissimo Patri
PHILIPPO BONANNI
è SOCIETATE JESU.

EPISTOLA
JOANNIS HIERONYMI
ZANNICHELLI.

VENETIIS, MDCCXXI.
Apud Josephum Corona.
SUPERIORUM PERMISSU.

ADMODUM

Reverende, & Erudítissime

PATER.



Istoria Naturalis, quæ Te adeò inter cætera omnigenæ doctrinæ ornamenta illustrat, Eruditissime Pater, & me (absit a veritate jactantia) avidiùs allicit; eò usque

posteriorum temporum industria crevit, crescitque in dies, ut plurima ex Antiquis jam fastidiantur ceu vulgaria, vel derideantur ceu fabulosa. Quàm copiosus ex eadem Tibi debeatur proventus, testantur (ut de aliis argumentis taceam mira varietate tractatis) Musæum Kircherianum tanto cum fœnore restitutum, nec non de Cochleis, de Generatione Viventium in non Viventibus acutæ pariter, ac curiosæ Observationes. Pretiosas reddidisti naturæ minutias. Subdidisti menti corpora, quæ oculum fugiebant; utque non minùs quam gemmæ nobis in deliciis essent maris ejectamenta effecisti;

In tenui labor, at tenuis non gloria.

Plurimum exinde mihi lucis af-
ful-

fulsit ad Fossilium, & præcipuè Lapidum figuratorum notitiam. Istorum unà cum aliis ex eodem Regno conquisitis speciebus eruditam penum pro viribus paravi, tenuem quidem, sed Persica Gaza mihi chariorem, de quâ Tuam liberalitatem optimè meritam & fateor, & glorior. Summa voluptate perfunditur tùm sensus, tùm animus, dum in hisce contemplatur Naturæ nescio artificiumne, an partum. Ludit interdum sapientissimè tamen, & ipsa, dum modo in Marinis gurgitibus agit Testaceorum Parentem, modò in terræ visceribus eorundem Funeram. Plures acresque desuper vigent controversiæ, & potissimum illa, qua in varias opiniones exercentur ingenia, num videlicet Fossilia quædam sint Lapides in

Testarum figuram conformati, an Testæ lapidificam metamorphosim sortitæ.

Quamvis autem Quæstiones hujusmodi nonnullis videantur steriles, & luxum potiùs sapere Literarium; revera tamen in cognitionum, experimentorumque felicem germinarunt messem: adeò ut æterna sit optanda Authorum concertatio, & ipse paratus sim fovere dissidia. Displicet tamen, quòd sæpius disputatio abeat in contentionem, ac studium veritatis degeneret in sectam. Aperiam inferiùs saltem ad dubitationem, quid ego sentiam: interim operæ pretium me facturum arbitror, si ad ejusmodi Fossilium notitiam, duorum Montium Veronensium, quos perlustravi, Lithographiam

præ-

præmittam. In hoc præsertim incubui, quia rerum Physicarum investigatio usque adeò accuratæ innititur Historiæ, ac sensibili observationi; ut sine his instituta ratiocinia fiant Icarii volatus & Turres aereæ. Quoties quæritur Quid Rei, & ignoratur Quid nominis. Hunc autem qualemcunque meum laborem Tibi dicatum volui tum obsequii, tum literarii emolumenti gratia, censuram cogitatis, ac lucem cogitandis a Tua Humanitate, ut spero, relaturus.

Urbs Verona, quæ non minus feliciter, quàm constanter sub Venetæ Reipublicæ quiescit Imperio, ditionem possidet jucunda varietate intertextam. Quæ ex Reticis in ipsam excurrunt Alpes, ubi industriæ culturam

non

non admittunt, naturæ liberalitatem largiùs experiuntur; & segetum defectum Fossiles, ac Botanicæ opes pensant. Gemini ex his Montes demissiori jugo Austrum versùs progressi, ad Suavii, ac Monfortii fines in disparem surgunt altitudinem. Dissociantur à Meridie Valle intermedia, Italicè *di Zoppica* nuncupata, quasi dicas Vallem claudicantium: sinuosus enim in illam, ac præruptus descensus pedem claudicare cogit. Postica verò Vallis alia subsidit ad septem triones, vulgò *di Ponsara*. Eorum Montium alter, qui Solem Orientem salutat, ipse quoque *di Zoppica* dicitur, continuatoque cum proximo Monte *di Rubiano* nexu, Monfortium usque protenditur. Alter verò ad occidentalem plagam divertens,

tens, nomine *di Boniolo* Suavium petit, sublimiorque ad pedes octogenos frontem extollit. In priori ubi ascenderis ad viginti quinque pedum ex radicibus altitudinem, multus effoditur Lapis Frumentarius minor, dum circumjecta quoque loca eodem abundant sed majori; Lente pariter Lapidea, Pyrite siliceo, Arena ad instar Marinæ petrosa nec non Fluore albo. Posterior Mons verò, ut diximus *di Boniolo* scatet undequaque in vertice Fossilibus Numismata, Testasque multiplices exhibentibus variæ molis, varieque figuræ. Præcipuè tamen sub primam cacuminis declivitatem, quà memoratæ Valli *di Zoppica* imminet, Fodinæ occurrunt Idiomorphis diversarum specierum fœcundissimæ. Hinc habentur disparis

in-

inter ſe magnitudinis Tubulitæ, Conchitulæ, Turbinitæ, Strombitæ, aliique multiplices Cochleitæ. Paulò inferiùs Madreporæ ramoſa, & ad oppoſitam partem Cochleo-Trochitæ affatim eruuntur. Sed quid ſingulatim Loca recenſeo? Quilibet etiam incurioſus toto Monte in ejuſmodi Foſſilia quaquaverſum incidit, ac in Matrices Lapideas, quibus Teſtacea caſus inſeruit. Hæc ſunt, Clariſſime Pater, quæ de hiſce Montibus utpote rariora duxi referenda ad penitiorem Lithophiliam: vulgares enim Terræ Lapideſque ſicuti ubicunque obvii, ita nulla novitatis mercede inveſtigantis laborem fuiſſent levaturi. Placet tantummodò Religionis ergo nobile ibidem ſubdere monumentum.

Non

Non procul a prioris Montis radicibus, sub extremitatem angosti Campestris, Cœnobium visitur Capuccinorum, & in ipsius Templo Deiparæ Icon *di Fossa* nuncupata. Ad ejus pedes constans est Pietatis fama, immanem Draconem, Numine adigente, expirasse, qui in proximo antro latitans Viatoribus inhiabat dente, & halitu venenato, circumjectamque regionem compleverat terrore simul & strage. Hinc Templi, ac Cœnobii constructio, & frequentissimus in Deiparam cultus.

Quamvis autem ad vividiorem phantasmatis excitationem Tabula de prædictis subnectatur Topographica; servilem nihilominus me bucusque texuisse narrationem non inficior, quam quidem fecisset & Gasterochy-

res.

res. Addam propterea nonnulla non ad illustrationem materiæ, sed ad mei instructionem; si præcipuè (quod rogo optoque) Tui accedet censura judicii.

Ex recensitis nostrorum Montium Fossilibus est Lapis Frumentarius, nomen sortitus a variis Plantarum seminibus, potissimùm Frumentaceis, interdumque etiam foliolis, quibus consitus primo aspectu videtur. Hæc omnia autem modo exhibet segregata, modo miscellanea; & ex eorum superficiaria extensione, major, vel minor nuncupatur. Quid sint hæc, dicam quod sentio.

Lapis iste noster ex selenitica materia, coloris intùs albicantis, extrinsecùs sublutei, sed levi attritu evanescentis, Microscopio subditus superficiem exhibet

hibet minutissimis exasperatam Corporibus agglutinatis, quæ, si cautè abradantur, nullum in Matrice vestigium, nisi puncta quædam relinquunt. Cæterùm Lapideo fluore circumquaque imbibito Conchitulas, Echinulosque referunt aliqualiter imperfectos, seu erosos, aliasque ejusmodi formas striatas ut plurimum, & sulcatas, interdum undulatas, seu etiam fimbriis crenatis donatas. Alicubi scabrities informis prominet, & quasi tartarea. Quapropter exclusis imaginariis seminibus frumentaceis, aliisque, nullus dubito ut Lapides istos convestitos statuam variis, exiguisque tùm Testaceis ac Crustaceis, tùm luxuriante selenitici fluoris efflorescentia, qui à materia fixata pressus in qualescunque figuras incertas per

coa-

coagulationem erumpit. Quonam modo autem Corpora Marina in Fodinis relegata fuerint, inferius dicam.

Lente pariter Lapidea, seu Lapide Lenticulari, a quibusdam Numismа, ab aliis aliter appellato, noster Mons copiosè abundat. Quid de eo observarim Microscopio instructus, & adjecto Iconismo, referam. Delineatur Littera A. qualis è sua prodeat Fodina, rudis nimirum, & coloris æruginei, quippe nil nisi figuram exhibet lenticularem. Aliquas tùm ex majoribus, tùm ex minoribus selegi expoliendas, abrasoque cautè tenui cortice, Corpora patuerunt valdè dura, colore tamen nitidiore subalbicante, & alicubi vario. Levia quidem, sed frequentibus punctis can-

candidis aspersa, prout videre est Lit. B.. Hujusmodi maculosa superficie ad ulteriorem expolitioem excitatus, puncta illa in lineas striatas, seu undulatas cojisse comperi, à centro ad peripheriam contortas, ac prius non beoe detrito cortice occultatas, punctis solùm, quæ diximus, intermicantibus. Quales igitur aparuerint habetur Lit C. Curiosus adhuc, Lentem majusculam secui mediam per circumferentiam. Ea divisa utriusque medietatis internam superficiem dedit circulariter sulcatam, ut Lit. D. ita tamen ut in altera sulci coovexi promioerent, io altera verò coocavi subsiderent: adeoque per illorum in istos insertionem adamussim connectantur. Suspicabar primò parvos fuisse Echinos, dum ad instar puncto-

rum majores fossiles totam præ-
ferunt superficiem cuneolis di-
stinctam, quibus spinuli adaptan-
tur; sed posteriores observatio-
nes conceptam opinionem in du-
bium revocarunt, eòque magis
quia in Montibus Helvetiæ La-
pides Lenticulares scio reperiri
Veronensibus minùs duros, pun-
ctoque centrali lineis ceu totidem
radiis circundato donatos. Qua-
propter hæreo aliorumque desu-
per sententiam libens audiam.

Quid jam de nostra Arena di-
cam? Duplex raritatis pretium
sibi conciliat, a specie nempe
Marinæ quam exhibet, & a sui
in Petram concretione; ex qui-
bus profert ambiguum genus,
nimirum a Mare originarium,
& a Terra adoptivum. Arenæ
lapidescentiam non solum natu-
raliter, sed artificio etiam com-
pro-

bat D. Dù Clos experimentum, quo Arena Stampensis post imbibitum Spiritum vini sale Tartari, ac Volatili Aceti gravidatum, in durum lapidem coivit. Cæterum in nonnullis aliis Montibus Strata Arenaria patere scio, Marinæ inundationis vestigia *Omne cum Proteus pecus egit altos visere montes*. Utrùm verò Arena hæc Fossilis ibidem nativa sit, an ex Mari adventitia, certiùs statui non potest, quàm ex utriusque notis differentialibus. Nativa siquidem seu ex Terra Salina per congelationem, & modo alba, modo rubra, modo crocea, modo lutea, seu per torrefactionem ex sulphure bituminoso, seu ex sulphure arsenicali, ideoque subobscurè rubescens, homogenea est in granulis, minutior in mole, æqualior

in figura, & humoris bibacior. Marina è contra utpote ferè factitia, adeoque congeries Corpusculorum ex majoribus Corporibus, puta Crustis, Testis, Lapidibus attritis, erosis, aut aliter resolutis resultantium, granulis seu potiùs fragmentis constat dissimilaribus, frequentiùs crassioribus, minori autem siccitate, figura irregulari, colore cinereo nonnihil vario, & intermicante præditis. Sed nulla differentia evidentior, quàm parva Testacea, & eorum fragmina.

De Numismatis animadvertenda occurrit specialis in figura differentia, quà à Lapide Lenticulari discernantur. Quamvìs enim apud aliquos promiscuè sumantur, nihilominus quemadmodum in isto superficies est ad in-

instar Lentis convexa, unde nomen sumpsit, ita in illis plana est, & per totam aream æqualiter crassa, adeoque ex antiqui Numismatis similitudine nomen illi accersitum est.

De Pyrite verò Siliceo, ac de fluore albo innuisse sufficiat priorem Lapidis Calcarii commissuris innasci, coloris modò rubri, modò flavescentis. Duritie pollet insigni, actùm affrictus odore, tùm excussus copiosis scintillis, sulphur, quo abundat, testatur. Posterior metallicurgis materiam in igne fluidiorem reddit, idemque (ut notum est) tunsione ac cribratione in arenam redactus vitris conflandis opitulatur.

Madrepora Ramosa sicut alia quælibet Pori species a porosa partium textura nomen sortita, à

Turnefortio, Rajo, aliisque inter Lithophita recensetur. Augustinus Scilla suspicatur esse Zoophitum in Lapidem conversum; Lancisius verò nonnihil addubitat an sit Concretio Tartarea. Quidquid sit de harum opinionum veritate, curiosum profectò est, hos quoque Partus Marinos in Montes demigrasse, ut evincit nostra Madrepora Veroncnsis Plura interim desuper curiosa legi poterunt in Coralliographia Subterranea Clar. David-Sigismundi Butneri. Siquid novi ulteriùs perscrutando occurret, ad pleniorem materiæ illustrationem evulgabitur.

Quoad Testacea denique asserere ausim, iisdem descriptos Montes usque ad stuporem scatere, tantus est in quantitate numerus, tanta diversitas in speciebus,

ciebus, disparitas in mole, elegantia in conformatione, varietas in figuris. Plura conspiciuntur ad invicem dissociata, plura suis Matricibus inserta. Videre est Trochitas, Cochleitasque plurimos læves umbilicatos, majores, & maximos, interdumque marmorescentes, Conchitas, Buccinitas, Tubulitas instar Cornu Ammonis in se revolutos, Pectunculitas bivalues, & modò in longum, modò transuersim striatos: Pectinitas majores auritos, Strombitas, Ostreitas, cæterosque. Nihil hic immorabor, ut hujusmodi Fossilia in suas Classes distribuam, aut in Genera subalterna, Speciesque infimas distinguam. Hoc enim à pluribus tentatum est ad satietatem, & forsan ad excessum, quippè sæpiùs varia, & ni-

mis minuta divisio confusionem parit. Quod meritò torquet Eruditorum ingenia est, num hæc Corpora Partus Marini sint in Terræ ditionem translati, an Partus Terreni ad Marinorum æmulationem efformati. Multa ingeniosè sanè congerit Konighius in suo Regno Minerali speciali, quibus demonstrare studet, Lapides istos Figuratos produci ex præexistenti semine, vel ex analoga quadam seminali vi à Creatore ab initio producta; seu Figuras illas Lapidum oriri ex fluore Salini Liquoris in appropriatam substantiam mollem, & siccitate in rimas satiscentem, donec omnia accedente Spiritu lapidifico coalescant, & prout fluor insinuatur, sic effigies repræsententur. Plura è

con-

contra exhibet Chempferus in suis Exoticarum Amænitatum Fasciculis, ab eodem præcipuè ad Mare Caspium, ac in Montibus circumpositis, & alibi in Perside visa, & observata, quibus luce clariùs evincatur, Testacea hujusmodi, aliaque Fossilia, diluvianæ convulsionis monumenta esse. Optimè novi, Te hanc quæstionem examini potiùs problematico subjecisse, adeòque liceat meam proferre opinionem. Esto Judex, & si me amas instrue.

Lapidificam Corporum metamorphosim qui absolutè rejiceret, injuriosum certè se faceret autopsiæ. Extant ubique testimonia. Quis neget Piscium Sceleta, quorum nonnulla apud me servantur, olim

olim viva, in Mumiolas incerce-
dente sale calcario postmodum
evasisse; cum adhuc & spinarum
conformatio, & partium insimul
symmetria, & desiccationis indi-
cia prominent? Tot Ossa fossi-
lia constituendis priùs Viventi-
um Artubus inservijsse demon-
strat Chymica Analysis à Joanne
Samuele Carlio relata. Eadem
enim ex illis, ac ex Cadavereis
elicit Principia, quæ nulla arte
à terris, seu à meris lapidibus
obtineri possunt. Neque aucta
moles excludit osseam naturam,
hoc namque Salis Calcarij, Ter-
restrisque Fluoris opus fuit. Hu-
manum Cranium exhibere pos-
sum stalactite undequaque suc-
cingente adeò perfectè custodi-
tum, ut in ipso sutūras, dentes,
& quid quid duri ad ejus constru-
ctionem coalescit, oculus clarè
di-

distinguat. Tuæ erga me Humanitatis munus est Ovum Gallinaceum Tiburtino saxo inclusum, cujus corticem videre licet candidum, lævem, ac tenuem, crassaque materia vacuum, si parum medicullij excipias, quod Margæ immixtum fundo inhæret. Quis, rogo, tùm in istis, tum in aliis innumeris, Lapidescentiæ vires ignoret? Sed strictiùs ad Testacea. Quis asserat tot Testas adeò affabrè elaboratas, admirabili varietate linearum sulcatas, seu in girum contortas, e Terra genitas ad ludum tantummodo inanem? Intellectus certè ab hujusmodi Idea videtur abhorrere, dum nihil rationabiliùs ducit, quam suas peculiares productiones asserere Terræ, suas peculiares Mari. Quid quid in hac rerum Natura generatur, virtute

tute seminali perficitur, qua idonea Principia attrahuntur, & ad proportionatam quantitatem, partiumque situm, & figuram arctissima unione miscentur. Hæc autem generationis semina diversa diversis impertivit Natura, & eousque ut nonnisi ex constituti Elementi visceribus erumpant.

Pululant in Mari Plantulæ, sed Terræ sinui radices infigunt: Nascuntur animalia amphibia, sed tùm ex aquis, tùm ex terra vitam ducunt. At verò Testacea siccæ Telluri innasci sine Marino semine, ac sine fluctuum alimonia, ut verisimiliter concipi possit, non video. Sed quonam modo tanta Fossilium Testaceorum copia ad Montes transmigravit? Quonam modo certis in locis congesta? Quonam modo tamdiù perdurarunt? En nodus, en scopulus. Cre-

di-

diderim tamen illum haud difficulter ſolveodum, & hunc ſuperandum, ſi ad ſubterraneum terræ mariſque commercium, ſi ad Cataclyſmos tùm univerſalem, tum particulares, ſi ad utriuſque hujus Elemeoti viciſſitudines, mutuaſque io alterius ditionem excurſiones atteodatur. Alicubi Tellus io ingentes voragines diſcioditur, alicubi in immenſas aperitur cavernas, ubique meatibus occultis interſecatur, adeò ut non ſolum vaporibus, ſed etiam largis effluviis illius interiora Mare uſquequaque peneret. Unum aut alterum ſed magnum ſufficiat deſumere argumentum, nimirum a Mari Caſpio, eujus occulta ſeu cum Oceano Mediterraneo, ſeu cum Oceano communicatio non revocatur in dubium, attamen longiſſimo Provinciarum tractu ab utroque diſtat.

Ita pariter non longè a Sardo in Mutinenſi Ditione Mons extat ſterilis, vulgò *la Salſa*: Sub hujus verticem limoſa palus jugi fervet ebullitione, & interdum magna eructatione furens, ſimul cum Limo ſaxa, Teſtacea Marina ferè minora, imo, ut quondam memoratur, Lignorum fragmenta pice adhuc obducta ad Cœlum ejaculatur. Hoc verò, præcipuè propter humoris ſalſedinem ex ſubterraneo maris conſortio provenire credendum eſt. In univerſali Diluvio in quo *Operti ſunt omnes Montes excelſi ſub univerſo Cœlo*. Fluctus pluribus in Locis diutiùs ſtagnaſſe, cavernaſque omnes repleviſſe certum eſt: quod pariter poſtea quibuſdam in Regionibus accidiſſe ex particularibus inundationibus, hiſtorica teſtantur monumenta. Viciſſitudines verò, quas Globus Terraqueus a mutua horum Elementorum lucta paſſus eſt,

est, quis non legit, aut non audivit? Seruntur Arua, ubi Pisces natabant, emerserunt Montes ex Fluctibus, abscissæ sunt Insulæ a Continenti, vastæque Regiones undis cesserunt. Hinc non solùm probabile, sed ferè necessarium videtur, Pisces, Testacea, aliaque Marina Corpora per terrarum tractus dispersa fuisse, in cavernis, & ubicunque Aquæ stagnaverant, coivisse, imo proprio semine geniturarn propagasse. Quædam commixta seu Margis, seu aliis Liquoribus Lapidescentibus variè constricta, undis jam decrescentibus imperfectas formas habuerunt, quædam contrita, quædam integra, quædam commixta, Metamorphoses, quas intuemur, exhibent. Nimium forsan Tua Humanitate abutor in bis meis nugis: sed ne dedignare discendi cupidum, Tibique addictissimum. Vale.



A.A.A. Vallis nuncupata, *di Zoppica*.

B.B.B. Mons nuncupatus, *di Zoppica*.

C.C.C. Mons nuncupatus, *di Boniolo*.

D. Fodina Lapidis Frumentarii minoris, & in locis circumjectis, Lapidis Frumentarii majoris, Lentis lapideæ, Pyritis silicei, Arenæ ad instar marinæ, & fluoris albi.

E. Fodina Idiomorphorum variæ magnitudinis, ac diversarum specierum.

F. Fodina Madreporæ ramosæ.

G. Fodina Cochleo Trochitarum.

H.H.H. Angustum Campestre ad radices Vallis, *di Zoppica*.

I. Termla Sancti Laurentii, quæ adjacet Terræ, & Castro Suavii.

K. Cœnobium Capuccinorum, & Templum cum Deiparæ Icone, *di Fossa*, nuncupata.

L.L.L.L. Via montana inter Monsortium, & Suavium.

M.M.M. Via campestris Sancti Laurentii inter Monsortium pariter, & Suavium.

N. Crux nuncupata, *della Ferra*.

O. Crux nuncupata, *di Zoppica*.





